



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 144. Hora quasi sexta. v. 14.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

voluerant ingredi Prætorium quo puri agnum vesperi manducarent, nam xv. dies Festus erat ut constat ex Levitico. Potest hic locus dirimere multas lites Chronologorum, si rectè expendatur, ego verò Iudæorum hypocritis hic mirari non desino, qui se, occidendo agnum verum, non horrent contaminare, & ad typicum tanto studio præparare, seu Pascevem celebrare.

O Deus concede fidelibus tuis, ut quando ad agnum verum Paschalem, te nimirum in S. Eucharistia sumendum, volunt accedere, bonam & solidam & non hypocriticam faciant Pascevem, præparent se eo modo quo Thomas de Kempis libro 4. de imitatione ostendit. Præparent se uti Paulus Apostolus tuus monstravit. præparent se uti multi fideles faciunt in orationibus multis, ieiunio, elemosyna, culpatum deprecatione, confessione, satisfactione, reconciliatione. Hæc est vera & Catholica Pasceve, & corpore & anima se disponere, omni, qui personæ illi mortaliter possibilibus est, modo.

§. 144. *Hora quasi sexta. v. 14.*

Iam determinavit S. Ioannes diem anni & mensis & Hebdomadis, in qua passus est agnus Dei, nempe diem Paschatis Pascevem quæ sempererat die xiv. mensis primi & Pascevem Sabbati quæ erat semper feria vi. nunc ergo etiam horam determinat qua magnum de Christo & horribile factum est iudicium, quo vitæ author demnatus est ad mortem, Salvator ad interitum, Deus à creaturis suis cruci addictus & Iustitia æterna suspendenda inter latrones est visa. Sed quænam illa Hora sexta? Matutina, an Vespertina? Neutra, sed meridiana hora: quomodo hoc? quia Iudæi solum xii. horas diei habebant. Io. 11. Noctis autem horas 4. seu vigiliis Luc. 12. Marc. 6. & istæ horæ dierum inchoabantur à solis exortu, Matth. 20. & alibi & proinde longis diebus longas horas brevibus breves numerabant, semper tamen sexta in meridiem incidente.

Domine Iesu Christe, fili Dei vivi, qui hora diei sexta pro salute humana ad tribunal Pilati adduci & in iudicio fisti voluisti: Da mihi sæpe tribunal mentis meæ conscendere, & me ipsum de culpis meis conscientiæ testimonio districtius iudicare. Iudicium quoque tuum in adversis tam patienter subire, ut in iudicio tuo extremo valeam securus astare, Amen.

§. 145. *Et dicit Iudæis: Ecce Rex vester. v. 14.*

Pilatus, ut Iudæos ad commiserationem iterum commoveret, &